



**H**Einricus ille Confluentiæ ad Rhenum natus & educatus fuit. Ibi amore literarum & uirtutum ordinem fratrum Prædicatorum ingreffus est. Hic adeo in bonis literis profecit, ut sua eruditione & ardenti prædicatione toti mundo clarus innotuerit. Primum is lector sacri Palatii, deinde Theologiæ Doctor creatus est. Postea pontificis Romani authoritate sanctæ crucis prædicator atq; hæreticæ prauitatis inquisitor factus est. Eam functionem cum magno zelo grauitè administra- ret, Apostolica sententia duarum prouinciarum Nydroliensis scilicet & Cæsariensis Archiepiscopus electus est. Scripsit is sermones de tempore, de san-

ctis, & per Quadragesimam, unâ cum uarijs quæstionibus & Collationibus. Tandem anno 1465 sexto nonas Octob. sub Friderico 3 moritur, in Conuentu sui Confluentino sepultus. Trit.